



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XXIX. Qualiter, instante tribulatione , Deus invocandus est &  
benedicendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

Tu deteriora de te ipso sentire debes, & neminem infirmorem te credere.

Si ambulas ab intra, non multum ponderabis volantia verba.

Est non parva prudentia filere in tempore malo, & introrsus ad me converti, nec humano iudicio disturbari.

2. Non sit pax tua in ore hominum: siue enim bene, siue male interpretati fuerint, non es ideo alter homo. Ubi est vera pax, & vera gloria? Nonne in me?

Et qui non appetit hominibus placere, nec timet dispergere, multa perfretur pace.

Ex inordinato amore, & vano timore, oritur omnis inquietudo cordis, & distractio sensuum.

### C A P U T   X X I X .

*Qualiter, instantे tribulatione, Deus  
invocandus est & benedicendus.*

1. **S**it nomen tuum, Domine, benedictum in saecula: qui vo-  
lui*isti*

luiisti hanc tentationem & tribulationem venire super me.

Non possum eam effugere, sed necesse habeo ad te confugere : ut me adjuves, & in bonum mihi convertas.

Domine, modò sum in tribulazione, & non est cordi meo bene , sed multum vexor à præsenti passione.

Et nunc, Pater dilecte, quid dicam? Deprehensus sum inter angustias. Salvifica me ex hora hac.

Sed propterea veni in hanc horam , ut tu clarificeris , cùm fuerō validè humiliatus , & per te liberatus.

Complaceat tibi , Domine , ut eruas me: nam ego pauper quid agere possum , & quò ibo finete?

Da patientiam , Domine , etiam hac vice.

Adjuva me, Deus meus, & non timabo quantumcunque gravatus fuerō.

2. Et nunc inter hæc quid dicam ? Domine , fiat voluntas tua.

M 3

Ego

Ego bene merui tribulari , & gravi.

Oportet utique ut sustineam : & utinam patienter , donec transeat tempestas , & melius fiat.

Potens est autem omnipotens manus tua , etiam hanc tentationem à me auferre , & ejus impetum mitigare , ne penitus succumbam ; quemadmodum & prius sæpius egisti mecum , Deus meus , misericordia mea .

Et quantò mihi difficilius , tantò tibi facilior est hæc mutatio dexteræ Excelsi .

### C A P U T   X X X .

*De divino petendo auxilio , & confidentia recuperandæ gratiæ.*

1. **F**illi , ego Dominus , confortans in die tribulationis .

Venias ad me , cùm tibi non fuerit bene .

Hoc est , quod maximè consolationem impedit cælestem , quia tardius